Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 341
Quelle:
Copyright:

ſumtam fuiſſe. Noſtro ad calcem recentior adſuta eſt Membrana ſex Scutis gentilitiis ita occupata, ut majora duo, quibus adſcriptum *Mercy* et *Luxembourg* medium teneant; ad quatuor vero angulos minora videlicet *Beaupart*, *Beauuau Craon*, et *Lenoncourt*, *la Mark* adſiſtant. Cum *Luxemburgicum* femineum ſit, quandam ex ramoſiſſima hac Gente in *Merciorum* familiam nuptu datam innuere poſſit, quod Genealogi diſcutiant.

CCXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 81. forma 4. anguſta charactere luculento, atro perſcriptus et rubricis diſtinctus ita orditur: R. 3338

Incipit probemium cuiusdam noue compilationis.
Cuius nomen et tytulus eſt Speculum humane ſaluacionis. &c.

Exhibui duo praecipua *Speculi* hujus rhythmici Exempla *Vol.* I. P. 1. *col.* 439. et P. 2. *col.* 2218. Tertium praeſens caret Figuris, ut Secundum, gaudet vero Praefatione ſecunda, qua primum deſtituitur. Integrum eſt; cenſet enim Capita XLV. quae ſi conferantur cum Impreſſione tabellari, cujus memini *col. 439. ſupracit.* liquidum fit huic Impreſſioni deeſſe Capita XVI. videlicet 25. 28—30. 33—39. 41—45. ideoque factam ad exemplar *mſ.* imperfectum. Id, quod inde etiam patet, quod mox in *Probemio* omiſſum eſt ſequens Diſtichon:

In ſecundo capitulo agitur de precepti transgreſſione
Et de hominis eieccione et exilii hujus prolongacione.

item, quod ad calcem *Probemii* temere adjectum eſt iſtud:

Secunda figura gaudii eterni poteſt conuiuium regis aſſueri fuiſſe
Quia nullum legimus tam longum et tam ſolempne conuiuium habere.

Lege in rhythmi gratiam: *habuiſſe*. Pertinet id ad Cap. XLII. in *Probemio* juxta noſtrum Codicem, qui praeterea per decurſum diligenter minio notat in margine, ubi Figura ſive Icon foret adpingenda. Ad calcem eraſo minio ſuperinductum charactere recenti: *per manus F. Eberhardi Monſeenſis Sæculo 12.* Odi ejusmodi technas; vel enim erat *Eberhardi* nomen jam a prima manu, quid lima opus? vel legebatur aliud, cur invides, aut unde doces, ſubſtituendum *Eberhardum?* Cur etiam Seculum mentiris? Ad populum phaleras.